



649


MANDU

RATIO

970




2-H-4



BIBLIOTECA
DEL
Rey N. Señor.

VII B 6

9/10



2 H-4-

Quencia 86

4.86.

MARCIDANDVLI·DOCT·ET·EQ·ORA-
TORIS·VENETI·APVD·SERENISS·F·
ERD·ARAG·VTRVSO·SICIL·ACHIE·GTHO·
REGEM·ORATIO·

Si venita Resp. Sereniss. Rex, summo amore & beniuolentia singulari catho-
lica Maiestatem tua perseverantissime prosecuta
optare, gratularique ex animo se solet incolumi-
tatem, atq; prosperos quosq; felicissimosq; suc-
cessus Celsitudinis tue: quanto nunc maiori stu-
dio, & uberiori quoad fieri potest, animoque si-
gnificatione, pro huiusmodi declarationis officio
uti nos docet, non tantum apud Matrem tua, cui
iamdiu exploratissimus est animus Veneti sena-
tus, sed et apud ipsum etiam terrarum orbem: quan-
doquidem diuina providentia id certissime factum
est, ut regnum hoc opulentissimum consecutus, glo-
riosisime adieris, susceptusq; honorificentissime
tueris summo procerum, incolarumq; civitatis ge-
neris consensu. Pro cuius rei magnitudinem ma-
ximam civitatis nostrae gaudium (id, quod tunc
a Veneto Senatu praestari poterat) cum primum
eum iucundissimum accepisset nuncium, significa-
vit praestantissimus hic orator noster apud Celsitu-



dimem tuam assistere solitus ex veteri ciuita-
tis instituto, id est pro illa summa beniuolentia,
qua semper uiguit, uiget, atq; perpetuo uige-
bit deo bene uiuante inter Catholicam Matrem
tua, et Venetum Senatum. Qui non contentus
eiusmodi declaratione, nunc uberiori animo
rum significatione, et pleniori testimonio tecum
agit. Nos misit ad te legatos, qui testes fidei
amoris, et obseruantiae in Matrem tua, summum gau-
dium, atq; incredibilem letitiam uniuersae Resp.
nae declarauerunt. Quare sicut proculdubio
attestari possumus, atq; debemus, nullam unquam
amicitiam firmiorem, constantioremq; constitisse
inter aliquos reges, aut principes, q; inter Colne
tua, et nos: ita sane sumus constantiss. assenera-
turi, ex regibus, aut principibus christianis nullum
esse, qui ex hac tua felicissima opulentissimi hu-
ius regni adoptione, aduentu q; tuo in hanc amplis-
simam dicionem maiori letitia, atq; uehementiori
animi hilaritate fuerit affectus, q; illustriss.
princeps Venetus, atq; Senatus, et uniuersa deniq;
Resp. nae. Quod profecto gratulationis officium
pro uoluntate ciuitatis nae uerbis implere, atq;
oratione complecti difficillimum sane existimamus.

2
Quis enim explicare satis dignum possit, q; incredi-
bilem conceperit inde letitiam ciuitas nostra.
cum uideamus te regem optimu Venetae ampli-
tudinis studiosum, sed praecipue de christiana reli-
gione optime meritum in amplissimo hoc regno col-
locatum esse: quem, cuiusq; maiores Veneta Resp.
ita sane sumopere dilexit, ac coluit ex animo: q;
cuiusq; maiores contra nos, maioresq; nros tanto
amore, singulari beniuolentia, eximia caritate
sunt ita semper prosecuti: ut nulla coniunctior,
constantiorq; amicitia unquam uiguerit inter aliqs
principes, q; inter te, maioresq; tuos, et Venetum
Senatum: quos idem semp studiu, eademq; animo-
rum conspiratio conciliauit. Quid dicam de in-
uictiss. Alfonso Rege (ut alios omittam) patruo
tuo excellentiss. qui opulentissimu hoc regnum
in maxima illa tunc tempore difficultate glorio-
sissime consecutus, qua summa beniuolentia, neq;
beniuolentia solum, sed et arctissimo q; foedere
maiores nros, nramq; Resp. sibi conciliauerit,
conciliatosq; sibi semp reddiderit beniuolentissimos,
quoad uixit, ac ueluti hereditaria illa nobiscum
beniuolentiam posteris reliquerit pro eamum stabili
pace, atq; concordia, nemo est, qui nesciat.

Sed illud imprimis exploratissimum semper fuit, nul-
lum sane aut regem, aut principem unquam dilexisse
magis civitatem nostram catholicam tuae Matris. Cuius
rei rarissima profecto (vera tateri liceat) ob huma-
nax reze vicissitudinem, inconstantiamque fortuna, quae
sit, fueritque in causa, plane compertum est, inter nos
praesertim: quorum par, eademque vivendi ratio a sac-
tissimo pacis studio profecta nihil unquam potuit op-
tauisse, quod non paci, concordiae, amori que videre-
tur conducere. Idque peculiare fere utriusque, atque ab
ipsa natura inditum honestissimum propositum: ut ad
decorum, et amplitudinem christianae religionis, neque tu
maioresque tui perpetua, plenaque summo discrimine
certamina, ac demum maxima quaque pericula stre-
nuè, fortissimèque obire unquam dubitaveritis, neque ipsa
Veneta Respublica nostri que maiores adversus barbaras na-
tiones bella, pugnasque unquam detrectaverint. Quinimo
nulla unquam communis facta est adversus infideles chri-
stiana expeditio: cui civitas nostra ingentes navales
copias, maximaque auxilia alacri animo non con-
tulit: cum nullum unquam iniustus duxerit bellan-
di genus, que adversus barbaras, et perfidas nationes.
Atque cum primum ea opibus pollere cepit, domestica
fere civitati nostrae huiusmodi bella sepe fuisse

3
pro christi fide, ita ut nulla penè sint maria, nul-
la Gaditanum intra sinum ora: quae barbaris in-
preliis veneto sanguine non sit aspersa. Unde
igitur exordiar? dicam ne celeberrimae patriae tuae
Laudes? eas captim recensere si vellemus: neque
id ingenio, verbis que assequi poterimus, neque dies
ipse satis esset magnitudinem rei. Id dixisse con-
tenti erimus, nullam sane toto terrarum orbe regio-
nem esse, quam uberius laudare sermone possimus,
nullam praeterea unquam legisse nos alacrioribus in-
colarum animis contendisse pro sacrosacta fidei
dignitate, gessisseque diuturniora bella cum perfidis
christi hostibus, plura demum de illis gentibus tro-
phaea crexisse, que Hispanias ipsas. Quid quod tot pro-
clarissimos imperatores, ac reges protulerunt, qui
Romano imperio, et ipsi fere terrarum orbi gloriosis-
sime profuerunt, Traianum, Hadrianum, Antonios,
Theodosios, Honorium, Arcadium, compluresque alios
principes excellentissimos, omni laudis, atque virtutum
genere ita ornatos: ut exquisitissima etiam roma-
norum ingenia, quibus ea tempora felicissime floru-
ere, in decantandis summis suis laudibus maio-
rem in modum defatigaverint. Omitto ex gentilibus
tuis Regibus, principibusque excellentissimis, quos

Hispania q̄ ipsa peperere, Pelagium illum regē
praestantissimum. qui fortissimus veluti athleta
Christi Mauritanorum impetum egregie strenueq̄
sustinuit, atq̄ fortissime demiq̄ eos profligavit,
qui iam iam Hispanias ipsas occupauerant. I.
Ramirium praetereo, qui eosdem Mauritanos
Hispanias longe, lateq̄ deuastantes auspiciis
praesertim, atq̄ expressissimis monitis ipsius
diui Iacobi apostoli, inferioribus longe viribus
aggressus repressit, deuicit, debellauit, ac peni-
tus ad intermissione prostravit, haud inferior
Constantino ipso gloriosissimo imperatore: qui
cum perfidissimis Christi hostibus duce Maxen-
tio aduersus fideles militantibus confidentissime
ut congregaretur, similiter monitus, signo et ipse
inuisibilissime crucis cum uniuerso exercitu mu-
nitus, gloriosissimam illam victoriam summa dei
clementia consecutus, fidei decus, et amplitu-
dine toto terrarum orbe exaltauit. Praetereo &
Ramirium alterum: qui et ipse in manu domini
potenti valde, atq̄ terribili super omne terram
ad Tagum fluum innumeros pene fidei hostes
profligauit, atq̄ attriuit. Quid dicam de Alfon-
sis regibus clarissimis et ipsis gentilibus suis:

4
ex quibus senior ille catholicus et ipse Rex iu-
re optimo ab omnibus nuncupatus, Lusitaniam
ipsam, et eam omnem regionem, quae inde ad py-
renaeos usq̄ saltus protenditur, ab infidelibus libe-
ratam, christianorum ditione gloriosissime restituit.
Quid dicam demiq̄ de Ferdinandis ipsis q̄ maioribus
tuis, regibus gloriosissimis: quorum ille antiquior
Cordubam, Carmonam, Hispaliem nobilissimas, pri-
mariasq̄ totius Hispaniae urbes, ac eam demiq̄
omnem oram a perfidissimis Christi hostibus occu-
patam gloriosissime subegit, christianorumq̄ nomini
immortali sua gloria vindicauit: qui demiq̄ oēs
praeter rarissimas cuiusuis generis virtutes suas,
ac praclarissima facinora, quantum de christiana
religione promeruerint, norunt adhuc africana
littora, norunt barbaricae lybicae nationes: quibus
cum perpetuo bella gessere, fuis, fugatis, pulsis, ac
delictis penitus infinitis pene barbarorum gentibus: q̄
diutius fuerunt barbarico furore in Hispanijs debac-
chate. Quos cōsulto praetereo, cum praesertim te pro-
culdubio omnes illos redū equauisse, sed longe q̄dē
superauisse intueamur admirabili tua animi ma-
gnitudine: immortalis tua gloria, maximis demiq̄
ac prope diuinis cum corporis, tum animi virtutibus

tuis: quæ sicuti rarissimæ sunt in vniuersis quævis
præsertim congestæ, ita sane in te mira summæ Dei
clementia collocatæ te summè ornatam inter omnes
Reges ac principes lucidissimam veluti sydus inter
religiosa micantia sidera reddunt, atq; summopere
illustrant, adeo ut præstantissimæ hæc virtutes
tuæ ita inter se ferè contendere videantur: ut neq;
bona ipsa corporis, animi virtutibus subesse, neq; ipse
animus corpori patiatur non præesse. Speciem hæc
in te vere regiam quis non miretur? Oris lepore
ac venustatem quis non summopere laudet? Splē-
didissimos hos tuos oculos, præfulgentia veluti lu-
mina, salutem prosperam, sensum omnium vim
& integritatē, ceteraq; corporis bona: quæ ad de-
cus & dignitatē præstantissimi cuiusvis princi-
pis plurimū sanè conducere videntur, quis nō
summis offerat laudibus? quæ tametsi magna
sunt, et ab omnibus peroptanda: maiora tamen
me abducunt: quæ in te admiranda magis, q̄
laudanda sese offerunt: quæ Regem te omni lau-
dis, atq; virtutū genere ornatissimū reddunt.
Non dicam de fortitudine, Temperantia, Continentia,
comitate, ceteris q; eiusmodi virtutibus tuis: ex
quibus illud sane speciosissimū conspicitur: q̄ ista

5
admirabilis mansuetudo tua, atq; facilitas adeo
grata omnibus, popularisq; sit, semperq; fuerit: ut
vixisse ferè ceteras videatur: atq; cum clementissi-
mus sis, minime tamen à severitate ipsa, gravita-
teq; recedis. Affabilis præterea cū natura ipsa om-
nibus existas: nequaq; tamen abes a tibi insita
Majestate. Iustitiæ zelus in te immensus erga
omnes, haud sapiens tamen absq; animi moderat-
ione. Pietas deniq; sed minime magis q̄ expedi-
at, parcens. Quibus rarissimis virtutibus, quantum
comodo, utilitatiq; populorū tibi subiectorū semp
contuleris, vel ex hoc etiam coniectari facile po-
test, q̄ per quadraginta ferè annos amplissimis
illis tuis regnis tanta iustitia præfueris, admira-
biliq; clementia, ea præterea in te populorū ob-
servantia, eoq; amore: ut vehementissimum su-
pra q̄ dici possit, tui desiderium omnibus illis
nationibus, et populis reliqueris. Quid dicam
de ipsa religione in Deum opt. Max. tibi sa-
nè abincunabulis (ut aiunt) atq; ipsa natura in-
sita: quæ profecto inter ceteras virtutes tuas
splendidissimū veluti solare sydus inter mino-
ra sidera ita fulgeat, semperq; fulxerit: ut ado-
lescentiā vix ingressus, id est cum primū illud

ab te sacrosancta catholica fidei praestari licuit,
cum omnemq; aetatem tuam barbaricis bellis con-
locraueris, semperq; cum fidei hostibus bellum habue-
ris indictum: ut q; paterna auitaq; vestigia imi-
taturus vires, opes, auctoritate, vitam deniq; ipsa
dedicaueris huic sanctissimo proposito summa tua
laude, et gloria immortali. Atq; utina satis digne
captim etiam recensere possimus, q; gloriosissime
ad hanc usq; aetate vixeris, patris artes quanto stu-
dio excolueris: cum vero orium ad negocia reuoca-
ueris, id est belloꝝ causas incidaris, qua diligentia,
qua animi magnitudine, constantiaq; bella ipsa con-
fiteris, victorias deinde vel terra, vel mari q; strenue,
prudenterq; partas reportaueris, q; longe
deniq; late q; regnoꝝ tuorū fines propagaueris ad
fidei decus, et amplitudinē. Sed quis iure optime
non admiretur nullq; sane potuisse te aut reꝝ mul-
titudine opprimi, aut negocioꝝ uarietate confun-
di, aut agendoꝝ magnitudine superari. Magnū
profecto illud est sapientissime Rex urbanas res
numquamquam administrare: Non ne difficilius bel-
licas. q; magnopere uero admirandū erit, utraq;
sed quid unq; admirabilius ita ut id miraculo
ferē haberi debeat, q; si contingat unū eundemq;

6
praegcellentissimum Principem tot urbes, tot regna,
tot prouincias, tot exercitus, tot deniq; res, tamq;
varias mente concipere, ratione disponere, diligen-
tia obire, sapientia gubernare. Quod in te ipso semp
extitit perspectissimum. Sed nihil est profecto tam
arduum, quod magna tua sapientia cum admirabili
ista animi magnitudine non possis efficere: qui pri-
us pene q; opus exigat, omnia excogitas: prius q; co-
gitas, disponis: prius q; disponas, ferē efficis, ita
tamen, ut neq; celeritatem ordo, finisq; neq; ordinem
aut finem operis celeritas impediat. Quae omnia q;
fortiter, strenueq; prudenterq; praestiteris, testis est ce-
leberima illa Victoria tuae gloriae, atq; splendori po-
tissimū reseruata, atq; tibi relicta a maiorib; tuis,
splendidissimusq; triumphus ille, ac nobilissimum
trophaeum: quo gloriosius nullus unq; principum
pro sacrosancta catholica fide excitaui: quando tu
immanissimos christi hostes Beticam ipsam, qua Gra-
natam appellant, incolentes aggressus repressisti, re-
pulist, deuicisti, atq; ad intermissionē penitus delcui-
sti. quod bellum tanta balacritate suscepisti, tanto
animi ardore gessisti, tanta prudentia, ea animi ma-
gnitudine, felicitateq; contulisti: ut tandem hostes fi-
dei acerrimos attriueris, castris exueris, intra mœnia

compuleris, castella expugnaueris, urbem denique
Regiam, amplissimam ambitu, opibus refertissimam,
toto terrarum orbe celeberrimam summis viribus ob-
sessam, tametsi egregie, strenueque defendebatur, ad
deditionem coegeris, dissipatis his, qui fidei lumen
suscipere recularunt. Sicque gloriosissime expulisti ex
Hispanijs, id est ex amoenissimo illo Europa angulo
perfidias illas barbaras nationes, quae finitimos in-
stantes assiduis incursionibus, atque incommodis regione
illam per octingentos fere annos incoluerant. Id ex-
equium, atque de fidei hostibus pro religione christiana
speciosissimum tropaeum erigi, hoc holocaustum Deo
opt. max. acceptissimum a te potissimum Rege gloriosis-
simo de orthodoxa fide catholica ita optime merito
porsolui, offerrique debuerat. Tibi immortalis ista pal-
ma debebatur. De te quoque iure optimo illud prophetae
perpetuo dici poterit: quod dederit te Deus in lucem gen-
tium, ut esses illis salus usque ad extremum terrae. Quis-
pe qui non contentus religiosissime Rex tanto, tamque
glorioso facinore fidei decus, et amplitudinem extulisse,
non desististi, quoad in extremas quoque ipsius orbis partes
quum potius extra ipsum fere orbem fidei lumen exten-
deres. Dispersas namque ipsas insulas, omnibus haec-
tenus incognitas, maioribus quoque exprimi possit, difficulta

7
tibus exquisivisti, perquisitas inuonisti, inuentas denique
vas quoque incolentes, belluas veluti, ad sacrosanctam fidei
cognitionem, ac ueri luminis claritatem deduxisti, re-
demisti quoque tam innumeras perditorum animas in accepta-
bile sacrificium Christo domino. Neque tamen satis
fidei, satis immortalis tuae gloriae, satis tuo desiderio,
et propensissima voluntati ad decus, et dignitatem
christianae religionis praestitisse uisus tibi es, nisi nu-
per quoque in Africa ipsam nobilissimam orbis partem sum-
ma indignitate christiani nominis iamdiu ab imma-
nissimis eius hostibus occupatam, potentissima classe
validissima quoque manu trajiceres, fidei hostes propri-
is etiam laribus expelleres, portus ac litora longe, la-
te quoque deuastares, mazarababim munitissimum oppidum, ce-
leberimum quoque apud omnes barbaras nationes, egregie,
strenue quoque defensum, deuinceres tamen, expugnares, et
in potestatem redigeres, imposito munitissimo praesidio
id est nobilissimo vexillo fidei in medijs ipsis affri-
canis oris, quo facilius adiacentia caetera, Africam quoque
ipsam quandoque consequeris, christianis principi-
bus praebiturus exemplum, quibus in bellis eos deceret
vires suas experiri, in quem hostem gladios distin-
gere, pro quo gloria nomine opes, vires, vita de-
mitte ipsam exponere. Sensissent profecto non solum

Africana litora, nec etiam ipsas incolentes harenas
Lybicæ nationes, quæ facile, quæque celeri cursu pro
tibi ingenita religione, admirabili quæ ista tua animi
magnitudine ad ipsas quæ, quin imo et ad auroram
ferre ipsam, ac Gangem usque brevi fuisset fidei ve
xillum prolaturus, nisi zelus quæ christiana fidei,
et paris studium inde te ad opulentiora hæc
regna diuertissent. Quod si inter catholicæ Maie
statem tuam, et venetam rempublicam serenissimus Rex ea
vis amoris, summa quæ beniuolentia perseverantissi
me vivit, ita ut nil sane quandoque potuerit conti
gisse seu celsitudini tuæ, siue venetæ civitati, quæ
non communi semper ferendum fortuna iudicaveri
mus. Quis ipse tantum a nobis aberas in ea amplis
sima ditione tua, id est in extremis etiam Hispaniis
ipsis: quanto nunc coniunctioribus animis, propen
sioribus quæ animorum affectibus (si quid tamen mutuo
inter nos vetustissimo amori addi potest) sumus
constantissime perseveraturi cum celsitudine tua
in hoc amplissimo regno iure optimo collocata?
quandoquidem pari, eodemque auspicio, atque communibus
viribus, pro communi quæ nostrorum salute, et commodo, ut
pote qui expositi magis periculo, propinquiores et
imperijs constituti, sumus perfidissimorum communium

8
hostium iniurias propulsaturi. Tu, qui Hispani
arum Rex potentissimus pro religione christiana
semper strenue, fortissime quæ contenderis, inde quæ
Catholici Regis nomen tibi iure optimo, glorio
sissime quæ vindicaveris, nunc Hierusalem quæ Rex
declavatus, quasi tibi præ cæteris huiusmodi
palma debeat, isti tuo sanctissimo proposito
tibi ab ipsa natura insito minime sis defuturus:
neque nos etiam simus in posterum delituri ab eodem
religiosissimo animorum nostrorum instituto, qui cum
perfidis nationibus semper certaverimus, sed in
primis cum eo potentissimo, acerrimo quæ christi ho
ste, dissidentibus quandoque inter se principibus
christianis, minus quæ considerantibus, quanto ma
gis eos detuisset, omnes quæ christi fideles communi
bus armis, et coniunctioribus inter se animis oc
currisse communi hosti, qui tot oppida, tot ur
bes, tot populos, tot provincias, tot regna, tot im
peria, maximam denique atque præcipuam ipsius
orbis terrarum partem ab ovili dominico emanci
paverit, subegerit, prostraverit, ac denique in mi
seriam captivitatem abegerit innumeros popu
los christianos: qui ex truculentissimis caedibus
superfluorant, in contemptum et dedecus christi

fidei. Quam miseram gregis Domini condi-
tionem, tristissimamque memoriam, quia animus
horret meminisse, silentio praeferre consilij est.
Reliquum est, ut reip. nostrae nomine pluri-
mum condoleamus Philippum regem praestantissi-
mum filium, generumque celsitudinis tuae imma-
tura morte praeruptum obiisse: cuius eximia ex-
cellentesque virtutes, illa magnitudo animi, mu-
nificentia, clementia, pietas, caeteraque id genus
ea de se polliceri humano generi videbantur ad
fidei quandoque decus, et dignitatem: quae de quo-
vis gloriosissimo Rege, aut principe expectari,
exoptarique contingit. Sed cum mors ipsa, id est
natura lex, nec gloria splendore, nec potentia
magnitudine, nec virtutis specie, aut flecti, aut
terri possit: tua illa admirabili fortitudine ani-
mi, quam sapissime in adversis immortalis tuae
gloria continentissime praestitisti, sapientissime
Rex aequiori hanc iacturam ut feras animo,
hortamur plurimum, atque precamur: quo non
creptus tibi, sed in spectatissima indolis filijs idem
Rex restitutus, reservatusque videatur: quos Deus
opt. Max. sicuti ad iocundissimum solacium
amplitudinis tuae clementissime, pietissimeque

protulisse constat: ita ut eos protegat, tueaturque
sub umbra alarum suarum, servetque incolumes
benignissima sua misericordia et pietate, cupi-
mus maiorem in modum, ac peroptamus: qui po-
stremo ut quod in mandatis habemus tandem
exequamur, gloriosissime Rex Veneti senatus, ac
Reip. nostrae nomine offerimus ad decus, et ampli-
tudinem Catholicae Maiestatis tuae: quicquid aut
terra, aut mari, aut copiis, aut opibus, siue aucto-
ritate, siue viribus potest Veneta Resp. His om-
nibus propriis veluti commodis utere pro arbitrio
serenissime Rex. Hoc a te petit, atque magnopere
exoptat Leonardus Lauredamus Incolytus princeps
noster, atque senatus. Inveniet profecto, pericu-
lum si faceret, amplissima Maiestas tua uni-
versam civitatem nostram ita propensissimi in
te semper animi: ut nunquam sane sit defutura
commodo, dignitati, et amplitudini celsitudi-
nis tuae: quam Deus optimus maximus ut divi-
tissime protegat et tueatur ad decus praesertim,
atque splendorem orthodoxae fidei, summo opere
cupimus, atque precamur: ut et tu opulentissimo
hoc, caeterisque tuis amplissimis regnis felicissime
frui valeas: et nos tecum tua ista felicitate, et

gloria iucundissime, communiq; voto gaudere
possimus. quod et catholica maiestati tua, et
Venetae Reip. nostra felix, faustum, fortu-
naturumq; sit.

Dixi.

Habita Neapoli in castello nouo quarto
Calendas Ianuarias

.MDVII

·j. a Dominica Natiuitate. ·j.

·j.

PALACIO S VICTOR

Si ego mi suavissime angele summo amore
et vnebolentia non

~~Miserere...~~

Secur-

IP

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly obscured by water damage and discoloration.

Blank page with some minor staining and discoloration.

